Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26228
Copyright: Admont, Benediktinerstift

cogente fit. cessante necessitate pariter et illud cessare oportet. Tanto quoque dampnabilius usurpatur consanguineorum coniunctio. quanto minus necessaria probatur. Unde hec eadem copula postea inventa lege prohibita. domino dicente per moysen. Turpitudinem sororis tue non revelabis. Item obicitur. In veteri testamento precipiebatur. ut si quis absque liberis moreretur. frater eius uxorem defuncti sibi copularet. et ex ea semen fratris sui suscitaret. Porro ad quoscumque ipsa lex pervenit. eius preceptis probantur obnoxii. nisi que evangelicis vel apostolicis institutis evacuata monstrantur. Nullo autem evangelii precepto vel apostolico instituto. consanguineorum coniunctiones prohibite inveniuntur. Unde sicut ab initio ita et nunc licite probantur. Ad hec.

Illud quidem precepta legis servanda dicuntur. que nec evangelicis. nec apostolicis institutis evacuata monstrantur. verum quidem est.

Sed cum omnia figuralia apostolus probet ad tempus esse data. atque ideo veniente veritate affirmet non ultima esse servanda. hoc autem causa sacramenti. multis scripturis adeo institutum esse probetur. et hoc cum ceteris figuralibus evacuatum certissime constat. Quamquam sicut apostolus quedam consulendo addidit. que evangelicis preceptis non inveniebantur diffinita. nec tamen ideo tamquam temeraria vel superflua ab aliis apostolis sunt repudiata. sic et ecclesia post apostolica instituta quedam consilio perfectionis addidit. utpote de continentia ministrorum. de confectione mysteriorum. de celebratione officiorum. que nullatenus sunt respuenda. sed diligenti veneratione suscipienda. Consanguineorum quoque coniunctiones. quamvis evangelicis et apostolicis preceptis non inveniuntur prohibite. sunt tamen fugiende. quia ecclesiasticis institutionibus